RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Politica De Dethronisatione

Gryphiswaldiæ: Ære, Danielis Benjaminis Starckii, [1704]

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0002
DFG

Ho – 22.

~~Ro – 509.~~

angebunden 38 Festschriften, Programme etc

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1856525465/phys_0003
DFG

65. a. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0004
DFG

DISSERTATIO POLITICA
DE
DETHRONI-SATIONE,

Quam,
inter festivos Academiæ Gryphicæ plausus
ob natalem **CAROLI XII.**
vicesimum tertium,
PRÆSIDE
VIRO AMPLISSIMO,
DN. JOHANNE PHILIPPO PALTHENIO,
POLITICES PROFESSORE REGIO ORDINARIO,
PATRONO, PRÆCEPTORE AC FAUTORE SUO,
addictissimo honore prosequendo,
die 26. Junii A. 1704. ab hora 7. matutina
in Auditorio Majori
publice disquirendam
exhibet
RESPONDENS,
EBERHARD. HENRICUS von STADE, Stadâ-Bremensis.

GRYPHISWALDIÆ,
Ære, DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, Reg. Acad. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0005
DFG

DEO,

REGI,

ET

PATRONIS.

Q. F. F. S.

DISSERTATIO POLITICA DE DETHRONISATIONE.

QVemadmodum plerarumqve rerum, qvas aut divino consilio formatas, aut humana industria effictas cernimus, novæ subinde species apparent: ita etiam in moribus actisqve hominum sæpe aliqvid insoliti contingit. ut novis utrobiqve vocabulis, comparatoqve eorum intellectu opus sit. Fit id eqvidem iis qvam maxime invitis, qvi aut de perfectione Scholasticorum systematum præclare sentiunt, aut suæ absolutæ eruditionis fiducia inepte sibi placent, aut deniqve otii commodiqve sui causa ex sapientia facile modum tenent, & mature sibi discendi metam statuunt. Sed qvidqvid ejus sit, qvemadmodum in potestate Physicorum atqve opificum non est, ut naturæ lusus aut progressus artis inhibeatur, atqve adeo qvi utriusqve spectaculo delectantur, nova novis rebus inventisqve vocabula imponere desistant: ita nec in arbitrio præcipue Politicorum positum est, ut impe-

diant, qvò minus aut communem agendi modum homines Reip. negotia tractantes egrediantur, aut insolita casuum inauditis ante nominibus appellentur. Est inter ea nostro hoc tempore vix qvidqvam celebratius vocabulo DETHRONISATIONIS, in cujus sensu capiendo, cum multi non malo animo homines pessime offendant, faciendum videtur, ut paulo idem dilucidius pateſcat. Habent id enim Regiæ cumprimis res, ut ſicubi dubia ipſis lux affulgeat, & accuratius ab omnibus inſpici mereantur, & ab iis qvi in umbra desident, retractari haud dedignentur.

§. II.

Universim qvidem qvid DETHRONISATIONIS vocabulo indigitetur, facile apparet. Est illud, si Romanæ civitatis more loqvi liceat, Græco barbarum. Græci enim sedem Regum conspectiorem, sive solium loco celsiore positum, in qvo qvi dignitate atqve potestate super alios eminent, magnifice collocari moris est, θρόνον vocant. Illa vox, vix qvidqvam mutato sono Latio invecta, everso deinde Romanorum Imperio ad vicinas gentes, corrupta latinitate nunc utentes, delata, eandem in derivatis formam induit, qvam in aliis mediorum seculorum verbis atqve loqvendi modis animadvertimus. Uti enim à Monacho *demonachandi*, à Persona *depersonandi*, à Titulo *detitulandi*, à Gradu *degradandi*, à Cappello *decappellandi*, à Barone *debaronisandi*, à Comite *decomitandi* horridæ voces (*a*) surrexere; ita & à THRONO *dethronisandi* haud paullo funestius vocabulum enatum,

tum, qvod an ad Anglos (*b*) Gallosvè (*c*) propius originem referat, ideo incertum eſt, qvod illorum agendi, horum loqvendi genere freqventius utamur. Id certum eſt, qvalemcunqve modum, qvo qvi throno impoſitus eſt, eodem deponitur Regnoq; privatur, hoc ipſo denotari.

(a) *Vid. du Freſne in Gloſſar.*

(b) *Illorum eſt* to diſthroniſe, diſthroniſet, *qvod ita interpretatur Cotgrav. in Dictionario:* to depoſe from, or put out of, à throne, *deponere, deturbare throno*

(c) *Eorum eſt*, déſthroner, *apud Eundem loc. cit.* & detrôner *apud Danet. in Dictionario*, renverſer du Throne.

§. III.

Qvid verò ſpeciatim DETHRONISATIO denotet, ſciri recte non poteſt, niſi de cunctis amittendi Imperii modis accurate cognoſcatur. Inter eos maxime eſt naturalis ille, qvi conſtat morte Imperantis, qvæ qvemadmodum alia omnia viventium jura exſtinguit, ita Sceptra qvoqve ligonibus æqvat. Aſt præter naturæ neceſſitatem interdum fit, ut qvis ſponte ſua regnum relinqvat, aut eodem à ſubditis privetur, aut bellica vi ſubactus victori illud permittere cogatur; poteſt etiam fieri, ut irati Victoris populiqve offenſi conſenſu, & velut ſociata opera, ob domi foriſq; res male geſtas, diademate qvis exuatur. (*a*) Priorem modum *abdicationis*, alterum *exauctorationis*, tertium *conqveſtus*, ſed qvartum *DETHRONISATIONIS* vocabulo exprimimus. Abdicatio plerumq; fit volente Rege, invito populo; Exauctoratio, vo-

ente populo, invito Rege; Conqveſtus, invito Rege & populo; DETHRONISATIO volente populo & Victore extraneo, ſed invito Rege⁀. Abdicatio atqve Exauctoratio placide, & pacis tempore plerumq; peraguntur; Conqveſtus autem ex bello conſeqvitur; DETHRONISATIO aliqvid ex pace belloq; trahit, hactenus ut inter Victorem atq; Victum belli, aſt inter Victorem victiqve populum pacis ſtatum ſupponat ac confirmet⁀. Abdicationis, Exauctorationis atqve Conqveſtus exempla magno ubiqve numero occurrunt. DETHRONISATIONIS, qvantum ſcimus, nullum eſt aliud, qvàm qvod præſens Poloniæ ſtatus, & inſolita **CAROLI XII.** & virtus & felicitas nobis præbet, qvam ut recte æſtimemus, & præſentis argumenti naturam intelligamus, de rebus affinibus diſtincte eſt agendum⁀, qvo facto qvid ab iis DETHRONISATIO differat, ſuā velut ſponte eluceſcet⁀.

(a) *Plures finiendi imperii modos dari haud arbitramur. Sunt qvidem, qvi hunc qvoqve comminiſcuntur, ſi qvis ad certum tempus imperio ſummo præficiatur, eodemqve poſt tempus illud elapſum cedat. Sed utrum temporarius talis Monarcha extiterit unqvam aut adhuc extet nondum liqvet. Id qvidem veriſimum eſt, qvod* Dn. Thomaſius Jurispr. Div. Lib. III. cap. 6. §. 123. *pro ſententia affirmantium tuenda affert, nullam eſſe contradictionem inter τὸ ſummum atqve temporarium, nec adeo naturam rei repugnare qvominus qvis ſummum atqve ſimul temporarium civitatis Imperium obtinere poſſit. Potior tamen negantium ratio videtur, qvi non qvid fieri poſſit, ſed qvid fiat factumqve fuerit in illa Philoſophiæ parte, qvæ practica eſt, reſpiciendum docent, exem-*

exemplumqve hujus rei dari negant. Nam qvod de Dictatore Romano Grotius affert de J. B. & P. L. 1. c. 3. §. 11. *id incongruum esse demonstrart* Pufendorf. de J. N. & G. L. VII. c. 6. §. 15.

§. IV.

Est itaqꝫ ABDICATIO, qvando qvis summum qvod habet in Civitate Imperium, cui bene & ex commodo civium gerendo se totum *dicaverat*, imbecillitatis suæ, post animadversæ, conscientia, virium, morbo seniove afflictarum defectu, molestiarum tædio, & privatæ vitæ amore, religionis similiqve caussâ motus, *(a)* aut aliorum persvasionibus inductus, sciens volensqve *(b)* deponit, eodemqꝫ solenni verborum formula se *abdicat*. *(c)* Qvam Abdicationem, cum plerumqve certorum signorum, qvæ in collatione Imperii splendoris caussa adscita fuerant, publica abjectio, ac in tradentium manus restitutio seqvatur, *(d)* hinc est, qvod *Resignationis* qvoqve vocabulum in usu sit. Faciendæ autem Abdicationis sive Resignationis, ni certi temporis obstet conditio, qvo capite Remp. diminui periculosum sit, aut ni in ipsa delatione Regni ad perpetuam illius curam peculiariter qvis se adstrinxerit, *(e)* pleniſſima omnibus Regibus potestas competit. Qvæ enim accipiendi, eadem & relinqvendi Imperii ratio est. Ast nemo invitus regnare cœpit, *(f)* nec adeo invitus regnare perget. Qvidqvid in Imperio oneris est, id ut uni perpetuo incumbat, nec æqvum est, nec necesse. Si qvid autem in eo est juris atqve beneficii, ei à fruente renunciari posse, non est dubium.

Qvemadmodum verò mali Principes rariſſime eò deſcendunt, ut vexandæ & perdendæ Reip. ipſi ſibi finem ſtatuant: ita bono Principe & aſſueto Regni curis carere, acerbum ſemper Civibus eſt, qvi qvidqvid ex mutatione periculi ſit, recte æſtimare didicerunt.

(a) *Sæpe cauſæ illæ concurrunt, atq; ita miſcentur, ut ægre diſcerni poſſint, ſæpe etiam ſub unius vel alterius ſpecioſo prætextu reliqvæ potiores latent, uti exempla collecta à Becmanno in* Syntagm. Dignit. Illuſtr. c. 9. §. 3. *accuratius inſpecta teſtantur.*

(b) *Non agnoſcimus ergo aliam abdicationem qvam voluntariam ex parte Regis, qvi ſi coacte eandem faciat, nihil id aliud qvam exauctoratio eſt, honorifico abdicationis ſive reſignationis titulo exornata. Exemplum ejus in Alphonſo Portugalliæ Rege eſt, moderni fratre, qvod oſtendit* Autor Anonymus de la relation de la Cour de Portugal Tom. 1. Chap. 3. *verbis ſequentibus: Le lendemain bon matin le Marqvis de Caſcaes gagna le palais avant les autres Conſeillers & entrant dans l' Antichambre du Roy, il dit à ceux qvi y etoient de ſervice qu' il avoit deſſein de parler au Roy. On luy repondit qve le Roy n' etoit point encore levé. Il heurta ſi fortement à la porte qve ce grand bruit réveilla Sa Majeſté, de ſorte qv' etant allé à coté de ſon lit il dit à ce Prince, qv' il n' etoit point temps de dormir, qve ſ' il ne ſe réveilloit de la léthargie, dans laqvelle il avoit vecu, il ſeroit en peu d' heures* depouillé de ſon Royaume, *qv' il avoit presqve ruiné: Et qve puisqv' il etoit incapable de gouverner & de nul uſage dans le mariage, il luy conſeilloit* de faire de bonne grace & d' une maniere conforme à ſon honneur ce qv' autrement il ſeroit forcé de faire avec confuſion, *qvi etoit d' envoyer appeller l' Infant ſon frere & de* luy remettre le gouvernement, *qve*

qve par ce moyen il mettroit ſa couronne en ſeureté & conſerveroit ſon Royaume. Le Conſeil arriva enſuite en corps & tacha de perſuader au Roy de reſigner, mais ni menaces ni raiſons ne purent l' y obliger. *Comme il* perſiſtoit dans ſon refus *le Duc de Cadaval fut envoyé à l' Infant pour luy apprendre l' etat des choſes, & il ne ſe fit rien jusqves vers le ſoir, afin, dit on, de donner temps au Roy de changer de reſolution, mais comme il eſt plus vraiſemblable pour perſuader à l' Infant de finir ce qv' on avoit commencé. Luy enfin vers la nuit accompagné des Magiſtrats de Lisbonne, de la nobleſſe du parti, & d' un grand Concours de peuple vient au Palais, où il eſt recu par le Conſeil d' Etat, & à la tête de cette Compagnie* il renferme le Roy dans ſa Chambre, *aſſurant tous les paſſages par où il pourroit ſ' esqviver.* Vne formule de reſignation avoit alors eté dreſſeé, leuë & *approuvée par le Conſeil, qvi avant qv' on ſe ſeparât avec eclat, fut envoyée au Roy pour la ſigner, & rapportée ſignée de Luy,* mais on ne ſcait point par qvel moyen il fut porté à une telle ſignature.

(c) *Tribuimus ergo Abdicationem Regi in ſenſu activo non paſſivo. Uterq; autem recte adhibetur, cùm &* abdicare ſe regno, *&* abdicari *Rex dicatur, uti eſt apud* Plinium lib. 6. c. 22. Eligi Regem liberos non habentem, & ſi poſtea gignat, abdicari, ne fiat hæreditarium regnum. *Id qvod probe notandum eſt in gratiam qvoq; Cl. Becmanni* loc. cit. §. 1. ubi *cæteroqvin parum apte ipſa abdicationis diviſio inſtitueretur in voluntariam & involuntariam, ita, ut involuntaria iterum in excommunicationem & depoſitionem ſubdividatur. Id qvoq; notari meretur, à populo Regem non à Rege populum abdicari, Latine dici. Falluntur ergo qvicunq; vocabulum abdicationis eo ſenſu, qvo Patri permiſſum eſt degeneris filii curam abjicere eundemq; ædibus ſuis expellere* (Vid. Grot. d. J. B. & P. Lib. II. cap. VII. §. 7.)

Principi

Principi velut patriæ patri tribuunt, id qvod Mergo *qvidam facit, qvi ſub inclyti Polyhiſtoris Conradi Sam. Schurzfleiſchii nomine* de eo qvod intereſt abdicationis Principum *diſſertationem parum qvidem Philoſophicam tantoq; Viro dignam propoſuit* §. 2. & 3.

(d) *Illuſtriſſimum ejus exemplum Chriſtina Sueciæ Regina præbuit teſte* Pufend. de rebus Svecicis, L. XXVI. §. 31. *& autore* Theatri Europæi tom. 7. p. 638.

(e) *Id qvidem rarius eſt, exemplum tamen Polonia præbet, qvæ inter Pacta Conventa cum Michaële Wisnowizio inita, id qvoq; retulit* num. 3. Regno Poloniæ nunqvam abdicabimus; *qvam tamen conditionem ſibi remitti petiit Succeſſor Johannes III. uti teſtatur* Diarium Electionis anni 1674. d. 27. Maji, *id qvod eo facilius obtinuit, qvò minus metuendum plerisqve videbatur, ne is regnum unqvam faſtidiret, qvi tanto illud ambitu, tot artibus qvæſiviſſet.*

(f) *Sunt eqvidem interdum, qvi videri volunt nolentes ad Principatum vocari, ſed poſtqvam aliqvandiu reluctati fuerunt, expugnari modeſtiam ſuam patiuntur, & dum honori ſuo faventibus repugnant, id ita faciunt, ut appareat, ipſos vinci velle, cujus ſimulationis exemplum optime omnium Papæ exprimunt, qvorum lachrymis atqve deprecationibus nemo ſanus fidem adhibet.*

§. V.

Non verò idem eſt faciendæ Abdicationis modus, factæqve effectus in Regno electitio atqve ſucceſſivo. In illo pure Regnum ab abdicante eſt relinqvendum, tametſi aliæ, qvæ Regnum ipſum non contingunt, conditiones Abdicationi adjungi poſſint. (a) Conſtituendi verò aut deſignandi Succeſſoris nulla decedenti Regi poteſtas competit, niſi ea peculiari

culiari eligentium voluntate extra ordinem ipsi tribuatur. Id qvod in tali Rep. vix unqvam fiet, ubi ad Interregnum rem redigi ex usu libertatis videtur: (b) Ast ubi ea civitatis conditio est, ut qvanta fieri potest diligentia cavendum sit, ne Interregnum exsistat, facilius Principi, non omninò ingrata eligentibus cupienti, gratificabitur. (c) Ibi Resignatio facienda est in manus eorum, qvi eligendi facultatem habent, aut electoris populi personam repræsentant; (d) hic ab abdicante diadema, qvod populo reddendum, à populo iterum tradendum erat Successori, brevi manu Successori (e) traditur.

(a) *Huc pertinet reservatio certæ dignitatis, certorumq; redituum, qvam ad privatam vitam decore agendam abdicantes sibi stipulantur, uti Caroli V., Christinæ, Johannis Casimiri exempla notissima testantur.*

(b) *Exemplum irriti conatus hac in parte præbuit Johannes Casimirus Poloniæ Rex, qvod late describit* Perillust. Pufend. Rer. Brandenb. lib. 9. ac 10.

(c) *Obtinet hoc in Imperio Germanico, cujus compages ita laxe cohæret, ut ab Interregno gravissimum dissolutionis periculum immineat. Facile ergò Carolus V. ut Fratrem Ferdinandum I. Ferdinandus III. atqve Leopoldus, ut Successores Filios Ferdinandum atqve Josephum cernerent, ab Electoribus obtinuerunt.*

(d) *Sic Johannes Casimirus de abdicando regno mentem suam Senatoribus qvidem exposuit; ipsam verò Abdicationem in Comitiis Universalibus peregit. In ipsa Oratione valedictoria ad Reip. Ordines pertinente, his verbis utitur:* Coronam in manus Dominationum Vestrar. deponam, & in *Scripto, qvod Rex Pro-Cancellario Regni prælegendum dedit, sequentibus:* Coronam hanc à Dominationibus

Vestr. capiti meo impositam, à tot annis per Antecessores meos possessam, in manus, & ad liberam dispositionem Dominationum Vestr. solenni reddo Abdicatione. *Vid.* Nicol. Chwalkowsky Jur. Publ. Polon. *l. 1. c. 3. §. 4.*

(e) *Factum id est à Carolo Vto Coronâ Imperii cum Sceptro ad Ferdinandum Fratrem missa, ejusque facti significatione Electoribus facta.* Vid. Histor. Abdic. in Collectione Schardii p. 638. *Idemque commodius nullibi, quàm in Germaniæ Regno fieri potest, ubi qui summæ rerum actu præest, Imperatoris, qui ei destinatus successor est, Regis Romani nomen statim ab Electione facta gerit, & peculiari Inauguratione consecratur. Præter populum atq; successorem abdicantis neminem ponimus cui tradi abs eo diadema possit. Quod enim dictus ante* Mergo §. 8. *pronunciat*, summam potestatem, qva se princeps abdicat, reddi DEO & repeti suæ stirpi, *id inane est & cum reliquis ejus scripti quisquiliis rejiciendum.*

§. VI.

Sed in Successivo Regno dispiciendum porrò, an idem patrimoniale sit, an usufructuarium. *(a)* Priori casu, qvemadmodum res alias aliaqve jura omnia, qvæ ad possessorem unice spectant, idem, si superiorem neminem agnoscat, projicere si velit, & in qvemcunqve alium conferre potest, ita nihil impedit, qvò minus etiam de regno regniqve jure in gratiam filii, filiæ, spurii, propinqvi aut extranei cujuscunqve pro lubitu suo statuat. Hæc omnia enim in natura qvam diximus regni, qvod ad privati patrimonii modum tractari amat, insunt. *(b)*

(a) *Non alia ratione voces has intellectas cupimus, qvàm qvæ traditur à* Pufend. de Jur. Nat. & Gent. l. 7. c 6. §. 16.

(b) *Docente Grotio* de J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 12.

§. VII.

§. VII.

Posteriori casu, cùm certus Successionis ordo populi voluntate sit definitus, immutare in eo aliqvid Imperans decessu suo non potest, (a) ut adeò patri abdicanti potestas non sit, filium natu minorem, præterito primogenito, aut neglecto filio, generum sibi Successorem constituendi; Sed omnes illi, qvi jus habendi regni ex certa conditione suspensum semel nacti sunt, conditione illa exsistente regnum nanciscuntur, nec inter eos qvi communi populi beneficio fruuntur, is qvi regnare desinit, alium, qvàm loco & ordine sibi proximum efficere Successorem potest. Et qvamvis, si abdicatione is abstineat, invisum sibi hominem qvoad vixerit morari & imperio arcere possit, à successione tamen eundem excludere aut cum injuria tertii alium Regem festinare non potest.

(a) *Hæc autem non obstant, qvò minus in casu speciali voluntatem istam populus mutare, & idonea de caussa ordinem Successionis invertere possit.*

§. VIII.

Qvocunqꝫ modo spectata Abdicatio expresse, verbis sive ore prolatis, sive scripto conceptis, signisqꝫ æqvivalentibus aliis facienda est. Qvi enim tacitam qvoqꝫ abdicationem dari asserunt, cum abdicatione Derelictionem, (a) hanc iterum cum Desertione, (b) miscent.

(a) *Facit id* Müldenerus in Positionibus inauguralibus, *qvarum nova editio Halæ prodit.*

(b) *Id inter alios facit* Gronovius ad Grot. l. 1. c. 4. §. 9. *qvi & in eo errat qvod pro Derelictionis exemplo fugam*

Henrici Valesii proponat, quæ proprie Desertionem exprimit. Desertio enim mutationem loci in quo exercendum imperium est designat, quale quid in Henrico erat è Polonia in Galliam, & in Jacobo II. ex Anglia in Galliam profugiente, qua de causa utriqve regnum fuit abrogatum. Pro derelicto autem is regnum habet, qvi in eodem quidem vivit, aut certe locum ab eo remotiorem non petit, sed nulla regni cura tangitur, & per supinam rerum omnium negligentiam, animum non amplius procurandæ administrationis satis indicat: qvi sensus in ipsa vocabuli natura latet. Non enim tam dicimus regnum relinqvere aut derelinqvere, *qvam* pro derelicto habere, *id est, ita tractare, qvasi ad præsentem non pertineat. Ea vera est caussa Exautorationis Wenceslai in Germaniæ præsertim regno, uti accurate inspicientibus patebit. Cum verò & Derelictio hæc & Desertio, uti deinde uberius ostendemus, exauctorationi caussam præbeant, qvare ad Abdicationem illæ nulla ratione referri possint, satis patet.*

§. IX.

EXAUCTORATIONEM id vocamus, presse vocabuli vim urgentes, qvando illi, qvorum *auctoritate* qvis regnavit, male regnantem, hac ipsa sibi retenta auctoritate usi, maturo consilio, jure atqve ordine agentes, loco movent, qvo se indignum ipse reddiderit. Alii id *Depositionem* vocant, qvæ iis, à qvibus qvis solio *impositus* est, suo jure competere intelgitur. *(a)* Utrum autem licite Rex exauctorari sive deponi possit, qva de re maxima animorum contentione diu inter eruditos certatum fuit, nostra qvidem sententia in universum definiri neqvit, sed ad speciales singularum civitatum constitutiones hic est respiciendum.

(a) *Sunt*

(a) *Sunt & qvi* Exaugurationem *id appellant, qvæ à Depositione & Exauctoratione in eo differt, qvod in his ſimplici eorum decreto, qvibus illa poteſtas competit, regno qvis exuatur; ibi autem cum certa, ſacra cumprimis, ceremoniâ ad ignominiam comparata, regno, cui actu* Inaugurationis *initiatus fuerat, dejiciatur. Qvæ ergo inter ipſam collationem imperii & ſolemnia inaugurationis, eadem inter Exauctorationem & Exaugurationem imperantis differentia eſt.*

§. X.

Id itaqꝫ pro certo ponimus, in regno *Deſpotico s. herili* nullam legitimam mali Principis Exauctorationem fieri poſſe, ſed qvidqvid ſimilem cum eadem effectum habet, id conjurationis, ſeditionis, perduellionis, tumultus, aut alio qvocunqve nomine debere appellari. *(a)* Hæc autem reip. mala ubi exarſere, in depoſitione tyranni rarò furor mancipiorum ſiſtitur, ſed freqventius eſt, ut idem fuſo illius ſanguine extinguatur. *(b)*

(a) *Ratio aſſerti in ipſa ſervili ſubditorum illorum conditione latet, cui abdicandi heri facultas tribui non poteſt. Hinc adeò patet, qvid de amiſſione Imperii Turcarum, qvam ſuperiori ſeculo Osmannus, Muſtapha atqve Mahumedus IV. Prætoriani militis inſolentia ſubiere, ſit exiſtimandum.*

(b) *Expertus id eſt in eodem Turcarum Imperio Ibrahimus, & alibi alii.*

§. XI.

Proximum à Deſpotico regno *Arbitrarium* eſt, ſive *Abſolutum*, id eſt, ex mero atqve *abſoluto* imperantis *arbitrio* gerendum nec ulla ſubditorum libertate, legitimis modis exſerenda, temperatum. In

eo, originarie ita constituto, qvemadmodum de cura gerendi Imperii subditi plane non participant, ita nec qvomodo remp. Rex gerat, dijudicare possunt, & qvicunqve remissione primævi juris in eum casum, utrum Rex probus an improbus, sanus an fatuus imperet, remp. dederunt, illos etiam omnem illius casus eventum perferre atqve pati, verum est. Habet ibidem locum, qvod Tacitus præcipit: (a) *Bonos Imperatores voto expetendos, qvalescunqve esse tolerandos.* Et qvod alio loco monet: *Qvomodo sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita etiam luxum & avaritiam, & alia Principum vitia debere tolerari.* Qvà tamen tolerantiæ spe ut nimium Principes plenissima potestate prædíti confidant, tutum non est, cùm deniqve patientia expugnari, & in rabiem desperatio facillime converti possit.

(a) *Hist. l. IV. c. 8.*

(b) *Eod. lib. c. 74.*

§. XII.

Differt ab Arbitrario regno *Legitimum*, (a) qvod vulgò dicitur *Limitatum*, (b) ubi qvi Imperium Principi commisit liber populus, certo illud pacto munivit, qvod justæ velut *legis* vim habeat, imperiiqve & obseqvii certos *limites* designet, qvos utrinqve migrari nefas sit. Hos itaqve limites si excedat Princeps, postulare idem à populo, ut suis se cancellis contineat, non potest, aut si partem pacti ad se pertinentem servare nolit, alterius partis observationem à subditis male exiget. Qvidqvid ergò contra legum regni fundamentalium præscripta à legitimo Rege fit,

fit, id merus error, aut si malignitas animi accedat, mera injuria est. Utriqve autem, si per monita, consilia, precesqve subditorum occurri ac medela afferri neqveat, vitio ipsis nemo vertet, si perfido fidem renuntient, & emendari nescio, cum ipso tandem regno male agendi occasionem adimant. Cujus ratio non aliunde, qvàm ex natura pactorum est arcessenda: Namqve omni pacto duplex promissum inest, unde & reciproca ejusdem inter paciscentes obligatio est, & uti Grotius eleganter loqvitur, (c) *unius ejusdemqve pacti singula capita alia aliis insunt per modum conditionis, qvasi expressum sit: hæc ita faciam, si & alter fecerit qvod promisit.* Hac itaqve ratione fit, ut uno pactum non servante, ab altero idem tuto negligatur, qvo facto omnia irrita sunt, & ad illum statum, qvo ante pactum initum fuerunt, revertuntur. Ast non nisi pacto interveniente civile inter homines imperium constitui certissimum est, & qvemadmodum tempore illo, qvod conferendi imperii pactum præcessit, qvi eo ipso Rex factus est, privatus, & qvi nunc subditus est populus, liber erat; ita eodem pacto exspirante, libertatem populus recipit, Rex verò in privatam vitæ conditionem, ejus saltem qvod amittit regni respectu, recidit, (d) qvi est effectus Exauctorationis de qvo qværitur.

(a) *Dici non potest, qvo tempore loqvendi ea ratio invaluerit, ut conditiones illæ, in qvas alicubi Imperantes adsciscuntur,* Leges fundamentales *vocentur, qvod qvidem minus sit accurate, cum lex superiorem ponat, qvem rex, qvantumvis*

ad

ad certum gerendi imperii modum adstrictus, non agnoscit. Duplici autem de caussa id videtur factum. Primò quidem, quod leges olim definirentur per κοινὰς συνθήκας, communes conventiones, *qui flosculus erat philosophiæ Græcorum democraticæ, cujus hac quoq; in parte errores ostendit* Pufend. de J. N. G. l. 7. c. 6. §. 2. *Qui ergò cum Legibus Pacta miscebant, illi facile etiam cum Pactis confundebant Leges, unamque pro altera vocem promiscue usurpabant. Deinde etiam commune Scholarum dogma, parum quidem cum priori consentiens, hoc erat, quod proprius Legis effectus obligatio sit, quæ in pactis, præsertim nudis, & nescio quo συναλλάγματι carentibus, aut plane non exstet, aut non ita arcte stringat. Ne quid ergò dubii de effectu Pactorum, queis imperii atque obsequii civilis modus continetur, foret, sed ut vera atque stricta obligatio iisdem inesse ostenderetur, ipso* Legum *nomine ea appellare placuit, & quidem* fundamentalium, *in quarum scil. observatione ipsum totius rei fundamentum, non alia ratione firmandum, consistat. Posito ergò illo loquendi genere, non incommode regnum, quod talibus legibus constat,* legitimum *vocatur, quod à juste quæsito hic distinguimus.*

(b) *Omne Imperium natura sua absolutum est, hoc sensu, ut quidquid ratio Imperantis in consilium rite adhibita, saluti subditorum expedire censuerit, præscribi iisdem possit. Sed in statu monarchico, cum unius hominis judicium sæpe fallat, modumq; excedat, nec de eadem re idem diversi sentiant, hinc satius quibusdam populis visum fuit, ad certam gerendi imperii formulam Principes suos adstringere, & positis velut limitibus, potestatem regiam coërcere, unde* Regnum *ejusmodi* Limitatum *dicitur.*

(c) de J. B. & P. lib. 3. c. 19. §. 14.

(d) *Si is enim duplex forte regnum, v. g. unum hereditarium, alterum electitium teneat, exauctoratione hic facta, nullam ibi*

ibi avitæ dignitatis jacturam facit. Manet ibidem perſonæ publicæ qvam vocant, hic privatione regni privatus redditur, qvemadmodum Sigismundus amiſſo Sueciæ regno, Poloniæ regnum retinuit.

§. XIII.

Hæc qvanqvam ita plana ſint, ut vix dubio locus eſſe videatur, ſunt tamen ſententiæ noſtræ adverſi, qvi negant, civile imperium conſtare pacto, & à ſolo DEO Majeſtatem arceſſunt, qvo ipſo facultatem populo detrahunt, divinitus conceſſæ poteſtatis Exauctoratione facta malo Principi adimendæ. Sed probe intelligendum eſt, qvid Majeſtatis vocabulo ab iis, qvid à nobis denotetur. Illi eo denotant ipſum ordinem imperandi atq; parendi præcipue civilem, generatim & in ſe ſpectatum. Hunc dicunt originarie à divini Numinis conſtitutione pendere, idemqve allatis S. Scripturæ dictis probare aggrediuntur. Id autem nemo negat, nec eſt qvisqvam, qvi divini illius ordinis pervertendi hominibus poteſtatem tribuat. Loqvimur nos de certa ſpecie imperii certo homini peculiariter competentis, qvod ipſum interveniente ejus qvi imperat & populi cui imperatur pacto conſtitui, affirmamus, & dùm ejusmodi pacta qvotidie celebrari videmus, oculis noſtris credimus. Qvod ſi verò pactum hic adeſt, id qvoqve qvod natura pacti poſtulat, adeſſe intelligitur. Non alia certe ratione à DEO imperium, qvam matrimonium eſt, ſed matrimonium illud, qvod inter Cajum Cajamqve eſt, pacto conſtat, nec qvisqvam eſt, qvi neget, per adulterium

atqve deſertionem ab una parte eodem violato, alterius qvoqꝫ partis obligationem tolli. Pari ratione Miniſterium Eccleſiaſticum immediate à DEO eſt conſtitutum, nec tamen id obſtat, qvo minus in certas conditiones à Patrono parochus adſcitus, male geſto officio talari toga exuatur. (a) Qvi autem de Majeſtatis origine ſic loqvuntur, tanqvam res phyſica ſit, qvæ inter ſpiritualia primævæ creationis opera locum habeat, & inviſibili qvadam ratione cœlitus hominibus infundatur, iisdemqve penitiſſime adhæreat, donec divina iterum manu tacta, ad cœlos evolet, illi rerum moralium indolem & relatorum naturam male intelligunt. (b) Res ſimpliciſſime ita habet: Omnes homines natura ſunt liberi & æqvales, hactenus, ut qvilibet adultus & ratione pollens, ſuarum ipſe actionum moderator & arbiter ſit, nec qvisqvam in uſu communis juris aut major altero aut minor dici poſſit, ni certo pacto inito, voluntatem ſuam voluntati alterius ſubmiſerit, qvod qvando fit, *Majeſtas* inde, id eſt, *major* unius qvam alterius poteſtas atqve dignitas (c) enaſcitur. Hæc verò dignitas atqve poteſtas præcipue per imperium ſe exſerit, cui in eo, qvi imperium agnoſcit, ſubjectio & Obſeqvium reſpondent. Qvodſi ergo alicui imperium ſimpliciter ſit collatum, ſimpliciter qvoqve obſeqvium præſtari debet, ſi qvis autem ſub certa conditione imperium acceperit, illi etiam non niſi conditione illa poſita paretur, & eadem ceſſante, ipſum ceſſat obſeqvium. Ita inter homines qvotidie pactis initis agitur, ut autem ita agatur, id voluntа-

luntati divinæ, partim per rationem cognitæ, partim sacris literis revelatæ, consentaneum est; qvin ex prævio ejus præscripto, ut ita fiat, necessitas hominibus incumbit. (d)

(a) *Illa nobis responso commodissima videtur. Qvid præterea eam in rem conferri qveat, vid.* apud Pusend. de J. N. & G. l. 7. c. 2. §. 2. Dn. Thomas. Jurispr. Divin. l. 3. c. 6. §. 66. seqq. *& qvi Theologicis dubiis singulari industria satisfecit Auctorem* tractatus *eruditissimi* de Natura Imperii, præsertim Anglicani, *cui apud nos nomen suum amicissime professus est, vir summus, Galliæ olim suæ, nunc Angliæ decus,* Petrus Allixius. *Conf.* Marc. Anton. de Domin. de Republ. Ecclesiast. L. VI. p. 20. sq. *item*q3 in ostens. error. Svarez. p. 292. *Qva occasione notari meretur, qvanqvam eandem nobiscum sententiam plerique Pontificiorum præcipue Canonistarum amplecti videantur, alio tamen id animo ab iis, alioqve sensu fieri. Dum enim illi civilis imperii originem hominibus tribuunt, divinæ Papatus origini eam opponunt, idqve unice agunt, ut tanto majus intervallum inter sacram & profanam autoritatem constituatur, Papæqve, velut inter DEUM hominesqve medio, in ipsos Reges paulatim potestas tribuatur. Qvæ caussa est, qvare puriores Theologi contrariam de humana Papatus, & divina Majestatis origine sententiam acerrime defendant, qvi tamen, qvando DEUM solum Majestatis autorem faciunt, eo ipso non interveniens populi pactum, sed intercedentem Papæ autoritatem excludunt, qvorum mentem male intellectam, parum aberat, qvin ad veritatis politicæ corruptelas Philosophorum non nulli adhibuissent.*

(b) *Eminet inter eos* Hornius de Civitate, *qvi eo nomine à Pusendorfio vapulat* loc. cit. §. 3.

(c) *Is verus est vocabuli significatus, uti nemo latine doctus du-*

bitabit.

bitabit, qvanqvam vulgò nunc idem in Scholis Politicorum unice ad ſummum illud atqve ſacro-ſanctum civitatis imperium deſignandum, adhibeatur. Ita Juſtinus Hiſtor. l. 31. c. 7. §. 7. *Scipioni Africano, Lucii Conſulis Legato,* Florus l. 2. c. 2. *Attilio Regulo,* Tacitus annal. 3. c. 64. *Fecialibus Majeſtatem tribuit, qvibus ſummum Romanæ civitatis imperium competiiſſe, nemo dicet. Unde etiam ſequitur, hodienum vocabulum Majeſtatis cuipiam tribui poſſe, qvi ſummo imperio haudqvaqvam polleat. Ex vero autem vocabuli ejus ſignificatu fundamentum relationis, qvæ hic regnat, peti potest, ſcil. poſita liberorum hominum ſubjectione, in gratiam hujus vel illius facta, ponitur in eo Majeſtas; ſed eadem ſubjectione, defectu conditionis ſuppoſitæ, ceſſante, etiam Majeſtas ceſſat, & in ſtatum æqualitatis utrinq; res recidit.*

(d) *Hoc ipſo Grotianam ſententiam rejicimus, qvi conſeqventer tantum & ex poſtfacto, civilis imperii conſtitutionem à DEO approbatam putat.* Vid. l. 1. c. 4. §. 4. n. 1. & §. 7. n. 3.

§. XIV.

Qvod autem alii, pactum inter Regem Populumqve intercedens agnoſcentes, de violatione ejus per Regem facta, à populo cognoſci atqve judicari poſſe negant, eò qvod talis poteſtas ſuperiori qvidem in inferiorem non vero inferiori in ſuperiorem competere poſſit, id inane eſt. Nam omnino gratis ſupponitur, non poſſe reſcindi pactum à paciſcentibus, ſed ad tollendam illius obligationem auctoritate ſuperioris opus eſſe. Qvo admiſſo, qvid, qvæſo, in ſtatu naturali de Regibus atq; Principibus fiet, qvi ſuperiorem omnino non habent? num ſi qvis ex illis

pactum

pactum violet, alteri nihilominus illius ſervandi neceſſitas incumbet? In ſtatu qvoqve civili, inter privatæ ſortis homines qvotidie fieri videmus, ut ex una parte pacto violato, altera pars ſuam obligationem exſpiraſſe cenſeat, eidemqve ſolenniter renuntiet, qvod ipſum tantum abeſt ut imperantes damnent, ut re in controverſiam adducta, ſuo potius aſſenſu firment. Ad faciendam itaqve pacti renuntiationem tantum abeſt ut ulla reqviratur ſuperioritas, ut & inferiori ea competat, qvamqvam qvi paciſcuntur omnes, qvoad fruitionem ejus qvod ex pacto redundat juris, pro paribus recte habeantur. Qvamqvam ergo Rex legitimo regno præfectus, dignitate ſuperiorem in eo non habeat, jure tamen parem habet, nec ita verenda Principis eſt Majeſtas, ut vile ſit populi nomen, qvo ſæpe Principes atqve Duces terrarum Domini comprehenduntur, hactenus qvidem, ut communione juris naturalis, qvod ſervanda eſſe pacta dictitat, cum Rege ſuo populus frui neqveat. De violatione itaqve pacti regii qvando qværitur, opus non eſt, ut per modum ſolennis judicii, à populo forte conſtituti, de eadem cognoſcatur, id qvod recte fieri non poteſt, (a) ſed ſufficit publica per juſtas qverelas accuſatio, ſufficit illa, qvæ in ipſis rerum monumentis latet, facti aut agnitio aut probatio, (b) ſufficit deniqve ſententiæ, qvam judicium mentis eorum, qvi oppreſſionem patiuntur, efformat ſolennis pronuntiatio, ut obſeqvium male imperanti renuntietur, & in ejus locum aptior atq; melior ſufficiatur. (c)

(a) *Ratio hæc est, quoniam quantacunque sint populi jura, tamen ultra æqualitatem cum Rege idem ascendere, & superiorem se Rege ferre non potest; ast sine superioritate exercendi judicii facultas non intelligitur. Unde merito factum damnatur Anglorum, qui ita abjectè cum Carolo I. egisse memorantur, ut custodiæ traderent, variorum criminum reum agerent, ad caussam dicendam compellerent, cum respondere ad interrogata nollet, contumaciæ damnatum, supplicio affici curarent. Quanquam id ipsi genti vitio verti non possit, quod factiosi in ea homines, concusso prius atque everso reip statu fecerunt; unde & in anniversario sacro, quo* Caroli Martyris *memoria celebratur, paucorum nequitiæ, crudelitati atque furori illud tribuitur,* (wicked men, violent, cruel, and blood-thirsty men. vid. libellus Precum communium p. 301. *seqq.*) *Qui verò hæc talia ab ipso populo Regi legitimo inferri posse arbitrantur, illi populo Majestatem quam vocant realem tribuunt, personali multo superiorem, quo ipso ex Rege merum magistratum atque reipublicæ ministrum faciunt. Sed illud de duplici Majestate assertum falsum esse,* Pufend. de J. N. & G. l. 7. c. 7. §. 4. *demonstrat; & inter magistratum atque summum civitatis imperium, certa cum subditis conventione limitatum, quale discrimen intercedat, ex primis doctrinæ Politicæ regulis liquet: qua observatione utique opus est, quando Theologorum scripta occurrunt, quibus solenne est, vocabulum magistratus Principibus etiam summo jure imperantibus tribuere, quod qui eorum exemplo faciunt, & quicquid in scriptis JCtorum atque Politicorum de Magistratu præcipitur eodem referunt, eos mirum non est insigniter circa rem præsentem hallucinari. Id deniq; natura pacti, quam descripsimus, ostendit, non posse adversus legitimum Principem ulterius à populo procedi, quam ut imperio abutenti obsequium renuncietur, cujus rei exemplum manifestissimum est in eo casu, quo extraneus Princeps novum Regnum adipiscitur: is enim, si violata quoad*

hoc

hoc regnum pacti religione eodem exuatur, quo quæso jure populus ab obsequio ejus quantumvis liber, in alienæ tamen reip. caput judicium exercebit. Quod autem Legitimi Principes, qvi aliud, qvàm qvo excidere regnum non habent, Exauctoratione facta, in custodia sæpe asservantur, id non ad pœnam Principis, quantumvis privati, sed ad populi atque Successoris securitatem spectat, si scil. metus sit, ne ille, in populi judicio haud acqviescens, turbis remp. involvat. Liberalem verò illam, laxamque, & Principe viro dignam custodiam in fœdissimos sæpe carceres, & indigna qvæq; degenerare, non negamus, recte tamen ita fieri, negamus utiq;, qvalia sunt, qvæ de Erico XIV. Pufend. *refert* in der Einleit. zur Schwed. Histor. p. 403. *Qva de re alia occasione, ubi de diversis captivorum generibus qvi Reipublicæ, belli aut fori causa tales sunt, (Galli eos vocant prisonniers d' Etat, de guerre & de justice) agendi locus erit, uberius dicemus.*

(b) *Ponamus e. g. per leges regni fundamentales aut pacta conventa ademptam esse principi facultatem suscipiendi belli, si is ergo invito populo bellum suscipiat atqve eodem suis auspiciis infeliciter gesto in viscera regni hostem pertrahat, qvi cædibus, Incendiis, tributisqve uti fieri solet Cives exhauriat, qvi qvæso fieri potest ut inter sani syncipitis homines an Rex pactum regni originarium violaverit, dubium sit. Cum in sensus omnia incurrant & in terrarum orbis conspectu peragantur.*

(c) *Pufendorfius ita loqvitur:* Qvaliscunqve illa cognitio indolem judicii non habet, qvo super actione rei cognoscatur, sed nihil ea aliud est, qvàm nuda contestatio, qvo qvis manifestum suum jus ab altero violari ad animum revocat. de J. N. & G. l. 7. c. 6. §. 10. *scil. distingvendum est judicium mentis, à judicio fori subditorum; illi, non huic caussa Regis subjacet.*

§. XV. Tres

§. XV.

Tres vero ſunt cauſſæ, ob qvas ad faciendam Legitimi Regis Exauctorationem recte procedi poteſt. Prima eſt, ſi, qvi imperii nomen ſignaq; habet, imperio ipſe fungi non poſſit; altera, ſi, qvi poteſt, nolit; tertia, ſi, qvi poteſt & vult, male imperare pertendat. (a) Prius fit, ſuperveniente inſanabili corporis morbo, aut vitio mentis, qvod in regni delatione non apparuerat, in ipſo rerum gerendarum curſu ſemet exſerente, qvalia junctim in Alphonſo, moderni Regis fratre Luſitania deprehendiſſe ſibi viſa fuit. (b) Proximo locus eſt, in caſu voluntariæ deſertionis, uti Henrici Valeſii exemplum in Polonia oſtendit. (c) Ultimum freqventiſſimum eſt, ut qvis ſcil. iis legibus, qvas in accipiendo Regno duras non putavit, poteſtatem ſuam reſtringi moleſte ferens, dum ampliorem affectat, & invitis ſubditis extorqvere, aut iisdem refragantibus exercere conatur, (d) eam qvoqve qvam habuit, amittat, id qvod in Polonia experti ſunt Lechus II. Uladislaus II. forte etiam nunc Auguſtus II. ne numeri omen fallat, experietur.

(a) *Qvi plures hic comminiſcuntur cauſſas, & ad regem regno privandum, cujuslibet vitii criminisqve exprobrationem ſufficere arbitrantur, noſtra qvidem ſententia graviter errant. Nam qvicqvid ad privatam Principis vitam pertinet, id cum ad remp. non ſpectet, publica animadverſione opus non habet: Nec enim civilibus legibus Princeps ſubeſt, & divinæ legis violatio divino qvoqve tribunali dijudicanda rectiſſime permittitur. Si qvod autem factum Principis indecen-*

decentius, cum privata singulorum injuria sit conjunctum id itidem ut publico nomine vindicetur, opus non est, quam quod sibi imputet Princeps habeat, si quis privatorum, cui insultaverit, vim opponat, aut alii innocentiæ ejus patrocinantes concurrant, & dissimulata Principis dignitate, grassatorem male multent. Ex quibus patet, non satis posse defendi factum Francorum, qui Childericum, Merovæi filium ob incontinentiam regno expulerunt, (si vera est fabula, quam explodit Historicorum Galliæ recentissimus atque perspicacissimus Gabriel Daniel dissertat. 2. sur l' histoire de France *p. m. 419.) aut Polonorum, qui ob cædem fratris Lecho imputatam, regnum ei ademerunt.*

(b) *Merentur hic de morbo Alphonsi paralytico, aliisque eo pertinentibus rebus ea legi, quæ habet autor anonymus* de la Cour de Portugal, Tom. 1. Chap. 3.

(c) *Is, accepto de morte fratris Caroli IX. nuncio, intempesta nocte, ne salutatis quidem Senatoribus, qui lateri Regis admoti sunt, regnum Poloniæ reliquit. In Galliam quidem delatus, præceps iter variis rationibus allatis excusare, & persuadere Polonis conatus est, ut non decessisse sibi regem, sed domicilium mutasse, nec desertionem regni, sed regnorum conjunctionem factam crederent, quod ludibrium illi asspernantes, solenni ritu Henrico regnum abrogarunt,* facto scil. decreto, qvo Senatus & eqvestris Ordo declarabat: qvando Rex ad diem, Varsavienſibus Comitiis præfinitum, in Poloniam non rediisset, se omni fidei & obseqvii jus ei renuntiare, ipsum vero regno excidisse, jamqve interregnum esse, perinde ac si Rex defunctus esset, qvod tunc per regni & aulæ tribunos palam & in ipsis Comitiis, & postea Cracoviæ, ut cunctis innotesceret, nec qvemqvam Exauguratio latere posset, à publico præcone proclamatum est, *qvod testatur Gallus ipse* Thuanus, Hist. l. 61. ad ann. 1574.

(d) *Id*

(d) *Id enim male imperare unicè vocamus, qvando adverſus initæ conventionis leges, imperium adminiſtratur, qvo ipſo adductam ſuperius eorum ſententiam, qvi ex qvolibet Principis nævo imperii eidem adimendi cauſſam effingunt, denuo rejicimus. Namq; diſtinguenda ſunt vitia hominis & Principis, nec qvi hac vel illa virtute morali atqve œconomica deſtituitur, voluntate etiam pacti Regii ſervandi deſtitui cenſendus eſt, qvemadmodum è contrario non ſeqvitur, hic vel ille vir bonus eſt, ergò idem qvoqve boni Principis nomen meretur, cùm utrobiqve exempla in contrarium ſatis luculenta exſtent.*

§. XVI.

Ut autem de Exauctorationis hoc modo faciendæ juſtitia publice conſtet, opus eſt, ut mature in lucem fundamentales regnorum leges, aut ſpecialia Regum pacta proferantur, non qvidem eo ſenſu, qvod liber populus actorum ſuorum rationem cuiqvam mortalium reddere teneatur, ſed ut calumniæ anſa præſcindatur, ne velut illatæ injuriæ miſeratione alii Principes adducti, ad ſuppetias Exauctorato ferendas impellantur. (a) Qvi ergò id facere negligunt, non peccant, rectius tamen exiſtimationi ſuæ conſulunt, ſi levato hic velo agant, ad eum fere modum, qvo Germaniæ Regum Capitulationes, (b) Poloniæ Regum Pacta Conventa, (c) publice exſtare cernimus.

(a) *Simili ratione Principes, pleniſſimo imperii jure utentes, qvando bellum moliuntur, aut alias magni momenti res peragunt, de cauſſæ ſuæ juſtitia publice orbem terrarum edocent.*

(b) *Initium, ſeries illarum ſcripto conceptarum, ſumit à Carolo V. & inde ad præſentia tempora decurrit.*

(c) *Eorum*

(c) *Eorum initium eſt ab exceſſu maſculorum familiæ Jagellonicæ ad præſens usqve tempus, qvorum exempla collegit* Nicolaus Zalaszowski in Jure Regni Poloniæ lib. 1. tit. 9.

§. XVII.

Qvanqvam autem originario regni pacto à parte Principis violato, interpretatione nulla id egeat, qvod de ceſſante ſubditorum obſeqvio attulimus, ne qvid tamen res illa dubii haberet, ne eadem ratiocinio aut incerta futuri temporis exſpectatione niteretur, qvibusdam populis tutiſſimum viſum eſt, in ipſa imperii delatione, apertis verbis futurum hunc eventum Regi denuntiare, (a) aut, ne memoria eum falleret, ſcripto conceptis conditionibus *clauſulam commiſſoriam* adjungere, per qvam declaratur, ni dictæ conditiones populo ſerventur, alium ipſi regem juris æqviqve ſervantiorem non defuturum. (b) In hanc itaqve clauſulam ſi rex novus conſentiat, cauſæ nihil dicere poteſt, qvo minus deinde effectum ejus, qvem facto ſuo ſibi adſciverit, experiatur.

(a) *Singularis hic parrheſia fuit Arragoniorum, qvam verbis ſequentibus expreſſere:* Nos qvi valemos tanto come Vos, y podemos mas qve Vos, Vos elegimos Rey, con eſtas y eſtas conditiones &c. *Vid.* Hottomanni Franco Gallia c. 12. Nos qvi tanti ſumus qvanti Tu, & qvi plus poſſumus qvàm Tu, Te Regem his vel illis conditionibus eligimus, --- ſin minus, non, *qvod* Pufend. de J. N. & G. l. 7. c. 7. §. 10. *ſubjungit, qvi tamen qvare ab Hottomanno, qvem citat, hic abeat, inqvirere nunc noſtrum non eſt.*

(b) *Clauſula hæc omnium Poloniæ Regum à tempore Henrici Valeſii*

leſii Pactis Conventis adjuncta legitur, ſic concepta: Qvodſi verò, qvod avertant Superi, contra Jura & libertates, articulos & conditiones omnes, *(intellige non junctim, ſed diviſim, id eſt, contra omnium harum conditionum unam vel alteram,)* exceſſerimus, aut aliqvid non impleverimus, tunc Cives regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, ab obedientia & fide nobis debita liberos facimus, vigore Conſtitutionis anni 1609. *Conſtitutio illa cujus hic fit mentio, exſtat in corpore* Conſtit. Pol. Fol. 888. tit. Deklárácya ártikulu de non præſtanda, *atqve ita habet:* Si aliqvis ex eqveſtri ordine aut Senatorio, deliberatam violentiam & propoſitum ad everſionem integritatis reip. & diminutionem libertatis conjecerit, poterit hoc ſemper, ſive Dno. Archiepiſcopo Gnesnenſi, ut Primati, ſive Senatoribus ad latus regium reſidentibus, ſive alteri cuipiam Dno. Senatori, ſui vel alterius Palatinatus, denuntiare, qvi aut omnes inſimul, aut aliqvis illorum tenebitur, Sereniſſ. Regem præcautum facere & admonere, & ſi præcautioni & admonitioni Sereniſſ. Rex non paruerit, liberum erit cuilibet ex iſtis Dnis. Senatoribus, & etiam ipſimet Nobili qvi hoc detuliſſet, (in qvantum illi in admonendo Sereniſſ. Rege negligentes & oſcitantes eſſent,) in Comitiolis, præcedentibus Comitia Generalia proxima, Statui eqveſtri deferre, & ut nuncii terreſtres Sereniſſ. Regem moneant, expoſtulare. Qvodſi non eſſet factum, & Sereniſſ. Rex ſecundam monitionem neglexerit, nec id, in qvo diminutio libertatis & immunitatum verteretur, corrigere voluerit, nuncii terreſtres omnibus Statibus ad Comitia illa congregatis, debent id imponere. Qvodſi Sereniſſ. Rex etiam poſt talem tertiam admonitionem, in cauſſa propoſita juſtam excuſationem non dederit, & contumax in ſuo propoſito fuerit, & legitime & ſufficienter dedu-

deductum esset, qvod Sereniss. Rex contra integritatem reip. & diminutionem libertatis moliretur, tunc demum Status & Ordines poterunt se gerere juxta Articulum de non præstanda Obedientia.

§. XVIII.

Ne qvid tamen in illa clausulæ commissoriæ ad casum præsentem applicatione atq; exsecutione præter ordinem & per tumultum, à paucis privatis, rerum novarum cupidis, aut à promiscua civium multitudine, præcipitare omnia amante, ageretur, prudentissimis liberarum gentium institutis provisum fuit. Duplici qvidem ratione; aut ut melior atqve selectior populi pars, repræsentandi totius facultatem habens, qvi Ordinum *(a)* aut Statuum *(b)* nomine plerumqve venit, certo loco & tempore congregata, de administratione regni, rite omnibus expensis atqve dijudicatis, animi sui sententiam exponat, obseqvioqve, si opus sit, renuntiet. *(c)* Et qvamqvam Comitia regni Conventusq; Ordinum regulariter non nisi permittente ac indicente Rege celebrari possint, exceptionem *(d)* tamen casus, qvi adversus ipsum regem incidit, præbet, qvoniam eo exsistente, ut ipse suæ utilitati adversa faciat, postulari, aut certe sperari neqvit. Fieri etiam solet, ut ad Comitia statato tempore indicenda, per ipsas regni leges Rex teneatur, *(e)* qvod si facere idem negligat, qvò minus sua sponte Ordines non convocati conveniant, & res suas agant, nihil obstat. *(f)* Aut verò ut Regi Pro-Rex, Regno Respublica opponatur, *(g)* hac scil. ratione,

ut & Resp. peculiaribus suis juribus distinctum à Regno corpus constituat, & qvi Reip. Regi oppositæ caput est, non solum absentis mortuiqve Regis personam gerat, sed & præsentem consilio regat, à tramite recti declinanti comiter viam monstret, errare perseverantem fastigii sui à Regio proximi reverentia moveat, deniqve, si hæc omnia parum proficiant, communicato cum primariis civibus consilio, ne qvid resp. detrimenti capiat, qvalicumqve ratione, ad invisi tandem Regis Exauctorationem tendente, provideat curetqve—.

(a) *Hoc nomen ideò gerunt, qvoniam populum certo* ordine *digestum repræsentant, cuius distinctas classes alicubi Nobiles soli inter se, alicubi Nobiles & plebeji urbium incolæ, alibi & Sacerdotes, & qvod rarius est, Rustici constituunt. Qvidqvid ergò per Ordines illos rite fit, id nomine populi jure ordineqve fieri censendum est.*

(b) *Statuum nomen non eò valet, ut Status in Statu sit, id qvod ad Reip. dissolutionem & ruinam imperii tendere recte Politici affirmant, sed ut sciatur, non transitoria illa, & velut precario per privilegii modum originarie indulta esse populi jura, qvæ qvi eundem repræsentant, sibi tribuunt, sed ex ipsa primæva* Status reip. *formatione, perpetua qvadam Imperii & Subjectionis lege propullulantia—. Qvanqvam inusitatum non sit, ut hæc in civitatem illata, & coæva imperio subditorum jura, Privilegiorum nomine appellentur, qvæ non perinde ut alias gratiosas Principum concessiones, mutata eorum voluntate revocari posse, res ipsa loqvitur.*

(c) *Hac potestate Regni Arragoniæ Ordines olim fuisse gaviſos, testatur collectio Elzeviriana, de Regno Hispaniæ p. 107.* Cœterum abolita electione, libertatis leges denuo confirmatæ

firmatæ sunt LEGE UNIONIS ob id condita, cujus hæc duo capita recensentur; qvibus jus est Ordinibus, si Rex patrias leges violet, novum in ejus locum creare, & citra crimen Majestatis, ad tuendam libertatem fœderationes inter se, & cum vicinis Principibus inire. *Simili jure Sveciæ qvondam Ordines adversus Ericum XIV. usos esse testatur* Pufend. in der Einleitung zu der Historie des Königreichs Schweden p. 400: Es kündigten ihme die damahls versamleten Stände den Gehorsahm auff. & p. 403. Darauff stellet man König Erichen in der Schloß-Capelle vor recht / da er sich lange mit seinen Brüdern herumb gezancket / biß ihme endlich der Stände Urtheil vorgelesen wird: und so kündigten Ihme alle vier Stände / ein jeder durch seinen Vor-Mann die pflicht ordentlich auff. *Conf. idem ibid. de Exauctoratione Sigismundi.*

(d) *Exceptionem hanc, similesqve alias regulæ huic naturaliter inesse, vel id argumento est, qvod si Princeps, legitimum habens imperium, obstirmato ad extrema animo jura populi invadat, aut, si præsens scopo suo per vim potiri non possit, præcipiti fuga, sine designato successore, sine constituto vicario regimine, regnum deserat, dissolvenda foret civitas, ni sua sponte populo cöire, & de rep. deliberare liceret. Absurdum est autem, legem servandæ civitati repertam ita interpretari, ut ejus interitus inde consequatur, quale qvid in omni interpretatione vitandum esse uno ore fatentur omnes.*

(e) *Ita nuper in Anglia regnante Guilielmo III. constitutum fuit, ut qvovis triennio à Rege Parlamentum vocetur, qvæ res summum retinendæ libertatis studium arguit, postqvam inter arcana Principum absolutam potestatem affectantium id esse cœpit, ut diutius intermissis Parlamentorum atqve Statuum regni congressibus, autoritas illorum paulatim elanguescat.*

(f) Qvæ-

(f) *Quæsitum ea de re in Anglia fuit post desertionem Jacobi II. ubi, ut in fugitivi locum alius Rex sufficeretur, congregatione populi opus erat, sed quam Jacobi asseclæ, non nisi Rege vocante fieri rite posse, opinabantur. Vicit tandem sanior sententia eorum, qui Rege quidem præsente, & fungi officio volente, ab eo solo populum rite convocari, sed eodem absente aut renitente, alia quacumque ratione eundem congregari posse putabant, unde qui tunc forte ad manus erant Primarii de Clero & Nobilitate Viri Principi Arausionensi autores erant, ut ipse suo tantisper nomine ad populum literas daret, quibus Conventus eorum, qui alias Parlamenti constituendi jus habent, indiceretur. Id quod factum, atque ex eo tempore distinctio inter* Parlamentum *atque* Conventionem (Parliament *and* Convention) *enata fuit, quam accurate observat autor* Historiæ Desertionis p. 116. 117. *Simili ratione apud Scotos dicto tempore non Parlamentum,* sed Congressus (a meeting) *indictus est, sed in quo res ipsa quæ Parlamentum constituit, inesse deprehenditur.* Vid. id. ibid. p. 118. seqq. *Eodem pertinet Sveciæ Ordinum factum, quod memorat Pufend.* in der Einleitung zu der Hist. des Königreichs Schweden *p.* 502. Es schrieb der Hertzog / (*loquitur de Carolo Sudermanniæ Duce*) und der Raht zuvor an den König! (*Sigismundum,*) und erwiesen ihm die Nohtwendigkeit ihrer Zusammenkunfft/ worauff / obwol der König keine Antwort gab / kamen doch die Stände aus allen Land-Orten im September zu Sudercöping zusammen / welches / da es der König erfuhr / verbot er die Versamlung *&c. Quod hic* Conventus Congressusque *nomine Pufendorfius appellat, verum Comitiorum effectum habuisse res ipsa docet.*

(g) *Id nostro seculo nusquam evidentius est, quàm in Regno Poloniæ, ubi Archiepiscopo Gnesnensi dignitas & potestas competit, non multum ab ephoris Lacedæmoniorum aliena.*

Olim

Olim in Arragoniæ regno tremendum erat nomen Juſtitiæ Arragoniæ (el Juſtitia) *qvo judex inter Regem populumqve medius, teſte* Vaſæo in Chronico Hiſp. ad ann. 839. Marino lib. 8. & Hieronymo Surita ad ann. 849. *deſignabatur, de cujus præſenti ſtatu vid.* autor de la Relation des differens arrivés en Espagne entre D. Jean d' Auſtriche & le Cardinal Nithard, tom. 1. p. 162. ſeqq.

(h) *Hinc locutiones freqventiſſimæ:* Der König und das Reich/ der König und die Crone / *qvæ præſertim in formulis fœderum realium occurrunt, de qvibus Grot. memorat* de J. B. & P. l. 2. c. 16. §. 16. n. 2. *Sic Poloni Regem à Republica Poloniæ ſemper diſtinguunt.*

§. XIX.

Atqve ea ad intelligendam Exauctorationis Regiæ naturam reqviruntur. De tertio amittendi regni modo, qvi CONQVESTU fit, licebit hic nobis eſſe brevioribus. (a) Sufficit ſciamus, qvemadmodum belli (b) conſeqvens victoria eſt, ita conſeqvens eſſe Victoriæ Conqveſtum, qvi ſimultaneam atqve cumulatiſſimam jurium omnium, (c) qvæ victo Regi populoqve competebant, acqviſitionem & poſſeſſionem, velut exultante de victoria animo apprehenſam, denotat. Præcipua autem jura, qvæ hominibus competere cenſentur, in dominio atqve imperio conſiſtunt. Dominii rerum excellentiſſimum eſt genus, qvod fundorum atqve regionum proprietate conſtat. Inter imperia humana facile eminet civile, & ſub ſe reliqva omnia comprehendit. Utrumqve dominii atqve imperii jus vulgare, qvod populo per partes competit, qvemadmodum de perſona victi, in-

perſonam victoris, gentium jure tranſeunt, ita facile intelligitur, Regem juſto bello victum, (d) ſi aut in eo occumbat, aut in captivitatem redigatur, (e) regni qvoqve jure excidere, idemqve relinqvere victori.

(a) *Egimus de eo peculiari diſſert. Burneto Hulſioqve oppoſita, de qvæſtione Juris Gentium:* An Gvilielmus III. regnum Angliæ habuerit Jure Conqveſtus.

(b) *Bellum hic non univerſim pro ſtatu accipimus vim mutuò inferentium atqve propulſantium, qvi à primo hoſtilis animi indicio usqve ad tempus confectæ pacis durat. Hoc enim ſenſu & victoriam & Conqveſtum ſub ſe comprehendit. Utriq; autem ſi opponatur, ipſum actum bellandi atqve hoſtilia patrandi denotat, qvi inter partes æqvalitatem virium ſupponit, cujus contrarium in victoria & Conqveſtu ineſſe deprehenditur.*

(c) *Eqvidem nec ſuo peculiari fructu victoria ipſa deſtituitur, ſed qvi cum eo, qvem Conqveſtus præbet, comparari nullo modo poteſt. Jure enim victoriæ ſpoliatio cadaverum, ſervitus atqve pretium redemtionis captivorum, rerumqve præſentium, qvæ ad apparatum belli aut caſtrorum ornatum pertinent, aut in præda ſunt, acqviſitio defenditur. Sed in Conqveſtu ineſt acqviſitio rerum, ab obtentæ victoriæ loco abſentium, atqve immobilium, ut & jurium omnium, qvæ qvacumqve ratione victis, dum viverent, aut libertate frurentur, competebant. Victoriæ jure qvi acie vicit, Conqveſtus jure, qvi bello ſuperior eſt, utitur.*

(d) *Bellum hic intelligimus, non naturale, ſed gentium jure juſtum, id eſt, non qvod juſta de cauſſa ſuſcipitur, ſed qvod ab iis qvi ſummum habent civile imperium, publico utriusq; gentis nomine geritur, belliq; juſta de cauſa ſuſcepti effectum inter gentes habet. Vid.* Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 17. §. 19. *it.* c. 23. §. 13. & l. 3. c. 3. §. 1. n. 1. 2.

(e) *Videtur*

(e) *Videtur qvidem & tertius casus dari, scil. exilii, in qvod Princeps bello inferior, regni sui finibus excluſus ejicitur. Qvò minus tamen id admittamus, hoc obstat, qvod qvamdiu is in aliena regione degens, de viribus ope sociorum instaurandis laborat, bellum adhuc duret, qvo durante, Conqveſtui locus non est. Si vel maxime autem exul de recuperando regno in cassum laboret, & tandem sociorum ope destitutus, qvietam regni possessionem hosti permittere cogatur, ni tamen expresse juri suo renuntiet, amisisse idem non censetur, sed potest illud ab eo posterisqve qvacumqve oblata occasione vindicari, id qvod in Conqveſtu secus est, qvo omnia omnium jura exstinguuntur, antequam in Conqveſtorem transisse existimentur.*

§. XX.

Qvemadmodum ergò dicto mortis atq; captivitatis regiæ casu exsistente, & cum subjugatione populi concurrente, jus regni, qvod in victo (a) fuerat, æqvali ratione exstinguitur, (b) ita id æqvali etiam modo in victorem transit. Nec qvidqvam adeo ad rem facit distinctio regnorum, in superioribus, cùm de Exauctorationesermo esset, inculcata, inter electitia atqve successiva, patrimonialia atq; usufructuaria, absoluta atqve legitima, cùm pari in omnibus jure, i.e. plenissimo, victor potiatur. De Patrimoniali atqve arbitrario dubium non est. In electitio autem, dùm unà cum Rege populus devictus & in victoris potestatem est redactus, non solum rex electitius jus illud, qvod ex Electione ipsi competebat, sed & faciendæ electionis jus populus amittit. (c) In successivo, ordinem imperandi à populo constitutum

Conqveſtus interveniens evertit, dum & regem, cui ſuccedendum eſt, ne jus transmittat, & populum ne jus porrò tribuat, prohibet impeditqve. (d) In uſufructuario non ſolum uſus fructus regi, ſed & uſufructui oppoſitum ſublimius jus, qvod populo competere ſupponimus, eidem adimitur, qvemadmodum in bello res privatorum, inſuper habita directi utilisqve dominii differentia, qvam male militantes intelligunt, compendio rapiuntur. Eadem ratione, qvod regi decedit legitimum regnum in manus victoris delatum, fit abſolutum, ceſſante nimirum pacti illius, qvod populi libertatem muniebat, obligatione, à qva in ſemet transferenda multum abeſt qvi in ſervitutem populum redigit, Ordinumqve autoritate per ipſam ſtatus mutationem factam exſpirante. Tunc enim de fundamentalibus regni legibus diſſererere ſupervacuum eſt, ubi ipſe regni ſtatus à fundamentis ita convulſus atqve disjectus cernitur, ut novam plane formam, qvæ victori arriſerit, induere cogatur. Eqvidem ſi mitius cum victis agere victor velit, clementiæ atqve moderati animi pulcherrimum ſpecimen præbebit, nec vanam nomini ſuo gloriam conciliabit, injuriam tamen nemini facit, ſi rigido illo, qvod propoſuimus, Conqveſtus jure erga omnes, præcipue adverſus regem, uti velit. (e)

(a) *Non intelligimus hic, qvod denuò monemus, acie, ſed bello victum. Priori caſu nil niſi victoriæ jus obtinet, qvod ad Conqveſtum non pertingit, uti exemplum eſt in Franciſco I. Galliæ rege, qvi exercitum in Italiam ducens, commiſſoqve ibidem prælio captus & in Hiſpaniam abductus, cùm pro redemtio-*

redemptionis pretio aliqva Galliæ parte se cessurum promisisset, fidem tamen servare contradicentibus Galliæ Ordinibus non potuit. Hunc ergò si Hispani in Gallia cepissent, deletoqve exercitu populum simul universum in potestatem redegissent, non parte tantum regni carendum, sed plenario Conqvestui locus fuisset.

(b) *Vita enim hominis qvemadmodum bonorum atqve jurium omnium ansa atqve fundamentum est, ita morte ejusdem omnia hæc ultrò evanescunt. Imperii porro civilis in liberos homines exercendi præsuppositum est libertas personalis ejus, qvi imperium exercere debet, qva qvi caret, fungi illo neqvaqvam potest. Non obscure enim contradictionem id involvit, in potestate esse alterius, & in potestate tamen alios habere, non esse sui juris, & eminentissimo tamen jure civitatem regere.*

(c) *E contrario sequitur, si rex electitius, invito populo cui præst, sui privati patrimonii sumtibus bellum moveat, ubi in potestatem victoris redactus fuerit, non posse victorem Conqvestus jure adversus populum dissentientem uti, hactenus, ut eidem ademto novæ faciendæ electionis jure, aut ipse sibi regnum vindicet, aut alteri, cui velit, tradat, aut denig; ut eidem corona imponatur, populum electorem cogat.*

(d) *Successio regum non alio, qvàm dictæ electionis jure nititur. Id unice interest, qvod in electitio regno electio fiat unius hominis, sed in successivo electio originarie facta fuerit universæ familiæ, cujus membra se invicem certo ordine excipiant atq; consequantur, velut locum crebrius repetitæ electionis lege illa successoria explente, in qva tamen populus idoneis de caussis posteriori suo facto aliqvid mutare, si velit, potest. Id autem qvidqvid est juris, per Conqvestum victo decedit. Unde sequitur, si qvis regio genere prognatus, atq; adeò certo casu exsistente jus succedendi in regno habens, extra belli ejus*

partes positus sit, cui Conqvestus finem imponit, non posse eum propterea adversus Conqvestorem jus illud successionis allegare, qvo utiqve non erat gavisurus, nisi eodem civitatis statu, atqve ejus cui succedendum est jure persistente. Utroq; autem mutato, nec constitutus per populum successionis ordo ad ipsum pertingit, nec à victo jus, qvod amisit, in alium transmitti potest, qvemadmodum inter privatos liberi qvidem jus habent in bona parentum succedendi, sed supposita conditione, si in possessione eorum parentes ad id usqve tempus, qvo capessenda successio est, persistant. Recte autem Grotius *affirmat* de J. B. & P. l. 2. c. 14. §. 11. n. 1. & Pufend. de J. N. & G. l. 8. c. 10. §. 8. *jus regni successivi non ab eo qvi proxime regnavit, sed à populo accipi. Ubi ergò populus libertate caret, jus illud dare neqvit, & qvi electionis faciendæ jus non habet, ei nec dandæ inter electos successionis jus competit.*

(e) *Singula hæc commodius illustrari non possunt, qvàm ob oculos posito Turcarum exemplo, qvi non alio qvàm Conqvestus jure imperium Græcorum tenent, variasqve illius, ut & Romani, partes varia conditione ab aliis possessas, æqvabili jugo premunt, cujus rei in dictis ratio reposita est. Qvæ tamen omnia uti fatemur de eo tantum casu valent, qvem moderna atq; recentiora tempora supponunt, ubi bella non nisi ab iis qvi principem in sua Republ. locum tenent ejusdem nomine atqve viribus geruntur. Si autem ad tempora illa migrationis gentium respiciamus, qvando non justus populus Civili imperio utens, sed globus qvidam armatorum juvenum bellabat, qvi solo militari imperio regebantur, dicendum est post obtentam Victoriam Conqvestus jura non ad belli ducem sed ad exercitum ipsum pertinuisse, à qvo occupatione regionis universim facta, Dux belli Princeps factus, non ea qvæ priori indigenarum Regi competebant, sed qvæ novæ reipubl. Civibus placebant jura acceperit, reliqvis privati dominii*

partibus

partibus inter Commilitones olim, nunc ſubditos, diſtributis. Id qvod regnorum à Langobardis Gothisq; conditorum exempla oſtendunt. Ut mihi qvidem valde videatur probabile, ad illud migrationis gentium tempus originem vocabuli Conqueſtus pertinere, adeoq; id proprie nil niſi multorum *æqvali jure fruentium æqvaliter factam hoſtilis terræ* acqviſitionem *denotare.*

§. XXI.

Nunc ergò facile dicemus qvid ſit DETHRONISATIO, ad cujus oſtendendam naturam omnia hæc tendunt. Scilicet eſt illa exauctoratio Regis legitimum Regnum habentis, ob violatas fundamentales regni leges, pactiqve originarii religionem læſam, ab iis, qvorum auctoritate regnum accepit, rite facta, *(a)* non à mero privatæ injuriæ ſenſu, proprioqve exauctorantis populi motu proficiſcens, *(b)* ſed ad poſtulata *(c)* extranei Principis, belli jure idem exigentis, *(d)* inſtituta, hoc qvidem modo atq; effectu, ut poſtqvam à populo rex novus adſcitus fuerit, *(e)* ni loco eidem cedere exauctoratus ſua ſponte velit, utriusqve populi, qvi exauctorationem facit, & qvi Victori paret, viribus arctiſſimo fœdere junctis, finibus regni expellatur. *(f)*

(a) *Hactenus vera Exauctoratio eſt, ſed non mera, uti ſequentia oſtendunt.*

(b) *In eo primum* DETHRONISATIONIS *ab Exauctoratione diſcrimen eſt, qvod hæc proprio populi offenſi motu fiat,* DETHRONISATIO *non item.*

(c) *In eo* DETHRONISATIO *ab illa regni amiſſione, qva in Conqueſtu ineſt, differt, dum non ſibi regnum extraneus Princeps,*

Princeps, velut victo ademtum, vendicat, sed à populo id adimi victo postulat, cujus hoc ipso jus per omnia integrum agnoscit.

(d) *Hic quoque in statu belli discrimen à Conquestu, qui belli consequens est, latet.*

(e) *Hoc etiam differentiam DETHRONISATIONIS à Conquestu indicat, quod non datur populo rex ac imponitur, sed aut electioni faciendæ aut successioni continuandæ locus relinquitur.*

(f) *Hæc verba formalem DETHRONISATIONIS rationem, à qua violentia non plane abest, constituunt, & ab Abdicatione differentiam complectuntur.*

§. XXII.

Uti ergò ex dictis patet, casus faciendæ DETHRONISATIONIS non alius esse potest, qvàm bellicus, is nimirum specialissimus, qvando Princeps legitimum regnum habens, non nomine, consensu, sumtibus atqve copiis regni sui, bellum movit, sed privato ausu atqve consilio, sui patrimonii viribus, alieno ære, aut peregrino milite instructus, contra vicinum & regno amicum Principem idem suscepit. Qvo posito, Principi læso, cum solo aggressore, non cum populo, cujus jura aggressor violavit, negotium est, qvod eo recidit, ut & dum læsus hostem persequitur, hostilia populo haud inferantur, tandemqve illæsis, qvin servatis auctisqve populi juribus, (a) regnandi jure aggressor excidat.

(a) *Id eo fit casu, si qvid in concessa hactenus potestate regia nimii sit qvod ad abusum patere experientia demonstret. Tunc enim ut huic incommodo occurratur, & accisâ futuri regis auctoritate jura populi augeantur, operam victor recte prudenterq; confert.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Dum autem belli jure Legitimi Regis exauctorationem poſtulari dicimus, non adverſus populum jus illud, ſed adverſus regem allegamus. Cum populo enim, uti diximus, bellum non eſt, qvanqvam ſi qvi forte in populo ſint privati potentiores, qvi, uti fieri ſolet, non modo regem iniqva molientem in propoſito confirmaverint, conatus ipſius adjuverint, & in lucri ex maleficio redundantis partem venerint, ſed & depulſa injuria clam adhuc regi faveant, & ne adverſus ipſum jure ſuo læſus potiatur impediant, recte adverſus eos bellica vis adhibeatur, donec poſito hoſtili animo cum rep. conſentire, qvod ipſorum officii eſt, cœperint. Id qvoqꝫ, qvod plerumqꝫ inſonti populo belli regii onera incumbant, bellum adverſus ipſum geri indicio non eſt, ſed recte illa onera damnaqve regi ſuo populus imputat, & inter faciendæ exauctorationis cauſſas ponit, qvæ, ſi aliæ omnes deſint, unice ſufficit.

§. XXIV.

Id qvoqve obſervari meretur, per ipſam DETHRONISATIONEM non imponi finem bello, ſed partes tantum mutari, novamqꝫ belli ſcenam inſtrui. Anteqvam enim DETHRONISATIO fieret, inter Principem læſum atqve lædentem juſtum erat bellum, populus autem aggreſſori ſubditus extra partes poſitus. Sed DETHRONISATIONE facta, inter utrumqꝫ Principem non modo belli cauſſa durat, (a) ſed & inter Regem exauctoratum, atqꝫ in locum ejus ſuffectum novum bellum ſurgit, (b) conditoqve adverſus

communem hoſtem inter Principem læſum novumq; Regem fœdere, aut gemino bello aggreſſor petitur, aut in eo forma belli mutatur, ut qvi principalem ejus partem fecerat Princeps læſus, ſociorum deinde loco ſit. (c)

(a) *Qvantum ſcil. ad damni dati reparationem attinet, qvam Exauctoratio ejus non efficit, qvi damnum dedit, dum ſolam ab ulteriori inferendo damno ſecuritatem præſtat, uti jamjam oſtendemus. Ni de jure ſuo hac in parte qvidqvam remittere, neglectoqve aut aliunde penſato damno, victoriæ curſum inhibere Princeps læſus velit.*

(b) *Niſi in victoris populiq; offenſi judicio exauctoratus ſtatim acquieſcat, qvod egre ſperari poteſt.*

(c) *Fit illud, ſuppoſito caſu, ſi Princeps læſus poſt obtentam futuri temporis ſecuritatem à poſtulanda damni dati penſatione per magnitudinem animi abſtineat, qvod qvando fit, nulla amplius cauſſa eſt, qvare ejus nomine bellum geratur, ſed ſufficit, novi regis vicinique regni cauſſam auxilio, ubi opus ſit, præſtito ſuſtentari.*

§. XXV.

Qvemadmodum autem qvomodo DETHRONISATIO fiat, itemqve, qvo jure pars illa DETHRONISATIONIS qvæ ad Exauctorationem pertinet, nitatur, ſic ſatis intelligitur; ita dubium forte alicui videbitur, qvo jure Princeps extraneus, qvantumvis indigne læſus, Exauctorationem inviſi Principis in aliena Rep. poſtulare qveat. Id verò facile oſtendi poteſt. Primo enim dubium non eſt, qvin jure naturali qvisqve damni ſibi illati reparationem recte exigat, (a) qvod tanto magis in Principem compe-

competit, qvò arctiori obligatione ſubditis ſuis, ad immunes ipſos à damno & injuria præſtandos, idem obſtringitur, ut qvod aliis permiſſum, Principi præceptum videatur. (b) Deinde & illud certiſſimum eſt, in caſu depulſæ injuriæ jus naturaliter læſo competere ad exigendam ab aggreſſore cautionem de non offendendo in futurum, pro rerum præſentium ſtatu idoneam ac ſufficientem. Qva deficiente redintegrari pax non poteſt, ad qvam mature reducendam, conſilia omnia conſpirare debent. Qvi enim ſemel me læſit, ab eo haud abſurde metus eſt, ne idem oblata occaſione denuò facere aggrediatur. Ille metus, qvò qvis eſt ſalutis ſuæ ſuorumq; amantior, eò vehementius animum excruciat, efficitqve, ut nec præteriti mali ſenſum bona fide læſus deponat, nec præſentium rerum uſu commode fruatur, ni futuri etiam temporis ſecuritatem mente præcipiat. Ipſa itaqve lege naturali injuncta hominibus pacis & tranqvillæ ſocietatis cura poteſtatem cuiqve facit, qvacumqve ratione efficiendi, ut nulla ſit probabilis ab eo metuendi cauſſa, qvi ſemel ſe metuendum fecit. In ſtatu qvidem civili utrumqve, & damni dati reparatio, & futuri temporis ſecuritas, auctoritate ejus, cui commune in utramqve partem imperium eſt, facile obtinetur; aſt in ſtatu naturali, in qvo Reges atqve Principes verſantur, ab ejus, qvi læſus eſt, judicio, qvemadmodum damni accepti æſtimatio, ita & illud pendet, qva ratione ſecuritati ſuæ qvàm validiſſime cautum putet. (c)

(a) *Vid.* Grot. de. J. B. & P. l. 2. c. 17. §. 1. ſeqq.

(b) *Ita*

(b) *Ita sæpissime fit, ut qvod in uno est libertatis, pacto interveniente, in alio necessitatis sit. Sed opus hic non est, ut id magnopere urgeamus.*

(c) *Vid.* Pufend. de J. N. & G. l. 8. c. 3. §. 2.

§. XXVI.

Atqvi cautio illa de non offendendo infuturum, ut reliqva mittamus, constare verbis, aut factis potest. Verbis iterum aut meris, aut juramenti religione, Sponsorumvè fide confirmatis. Facta qvæ nostram securitatem muniunt proficisci possunt à parte læsi, aut aggressoris. Posterius fit, armis traditis, munitionibus dirutis, classe cessa, similiqve modo. Prius qvalicunqve ratione fit, qva impediri possit, ne detractæ hosti vires, qvarum fiducia peccavit, & qvibus pro instrumento contra nos est usus, unqvam repullulent, ut adeo ipsa nocendi impotentia ne noxa timenda sit efficiat, aut si qvid virium acciſarum restet, iterandæ tamen injuriæ occasio desit. Ille occasionis defectus hæc duo, absentiam à loco ex qvo damnum datum est dariqve porro potest, & potestatis qvæ ad noxam patuit patebitqve amissionem, comprehendit. (a) Atq; illo modo certissime fiet, ut aut volens hostis qviescat, aut nolens qviescere cogatur.

(a) *Qvid ad occasionem porro pertineat Vid.* in Pufend. de J. N. & G. L. 1. c. 5. §. 5.

§. XXVII.

Ponamus ergò Principem eo ingenio præditum, iis moribus instructum, ut aut fallere atqve mentiri omnino turpe non putet, aut in aliis rebus honestatem

tem colens, imperii saltem gratia jus violandum censeat. Ponamus, eundem aut plane nullo, aut non vero solidoqve de rebus divinis sensu imbutum, qvi qvidem primoribus labris, aut externo corporis gestu religionem non nunqvam decore simulet, sed actionibus suis, qvæ omnium disertissimam sinceræ persvasionis confessionem edunt, nullam divinarum legum reverentiam exprimat, an est qvisqvam mortalium, qvi ejus verbis, promissis, pactis, juramentis, fidem adhibendam, & in iis idoneam futuræ securitatis cautionem collocandam censeat? Qva porrò ratione, qvi fidem omnem decoxit, pro se Sponsores idoneos reperiet, sui præsertim dissimiles, & ad qvorum fidem firmandam nova sponsione non sit opus? Si vel maxime autem pro ipso alii meliores intercedant, aut temere illi asseveranti credent, aut certiori, qvàm qvod in verbis inest, fundamento nitentur. Priori casu, errori eorum comitem se adjungere simplex fuerit, posteriori, qvid qvæso dispositis per ipsos ambagibus opus est, ubi compendio res expediri, & id ipsum, cujus fiducia illi spondent, statim arripi, cujus illi futuram præstationem promittunt, in præsens obtineri possit. Saltem ubi inter realem ac verbalem, qvam vocant, securitatem electio datur, male sibi consulit, qvi non universim rebus potiorem, qvàm verbis, fidem adhibet.

§. XXVIII.

Dari autem Principes pactorum violatores, & religionum contemptores, probatione forte non indiget,

poſtqvam Florentina illa Philoſophia paſſim invaſuit, qvæ indignam Principe viro datæ fidei curam pronuntiat, & ludendum juramentis docet. In numerum eorum an hic vel ille, de qvo qvæſtio eſt, ſit referendus, id ex reliqvo vitæ ipſius inſtituto obſcurum eſſe non poteſt, aut dubium ſi ſit, illius judicio, de cujus ſecuritate qværitur, eſt relinqvendum. Qvodſi ergò is putet, cum tali rem ſibi eſſe, cujus verbis fidem omnino adhibere neqveat, vitio ipſi verti non poteſt, ſi ad capienda ſolidiora ſecuritatis ſuæ pignora animum convertat.

§. XXIX.

Ponamus porro Principem iis patrimonii ſui viribus inſtructum, ut qvicqvid inauſpicato bello amiſerit brevi reparare qveat, tum & eo loco poſitum, ut male nobis cupientium ſubſidiis facile inſtrui & contractis è vicinia copiis ad extrema nobis intentanda excitari poſſit, qvin in ipſo hoc loco tali tantaqve poteſtate, qvæ ad damna noſtra converti poſſit, præditum: nonne opus eſt ut aut de adimendo ipſi ampliſſimo patrimonio, aut de eodem homine ſuſpecto nobis loco, ſuſpecta nobis poteſtate, excludendo laboretur. Hac ipſa autem poteſtate, qva nobis obfuit, ſi & adverſus alios abuſus fuerit, qvi ejusdem adimendæ facultatem habent, qvid æqvius eſt, qvàm ut eos jure ſuo agere permittamus, & ut eodem utantur, ſegniores excitemus? qvo & ipſorum & noſtræ ſimul ſaluti, ſi præſertim utriusqve in vicino atqve amico populo conjunctiſſima ratio ſit, conſulatur.

Atqꝫ

Atqve eo ſaltem caſu licitam eſſe DETHRONISATIONEM, nemo veritatis amans, & rationis compos, inficiabitur.

§. XXX.

Concedendum eſt ergò qvod diximus, aut alia dicto in caſu obtinendæ ſecuritatis ratio lenior atqve innocentior oſtendenda eſt, qvæ oſtendi neqvit. Qvi enim hæc talia jactitant, poſſe loca finitima, in qvibus nova timenda irruptio eſt, caſtellis idoneis communiri, poſſe validum iis præſidium imponi, belliq; apparatum infeſtis qvibusqve conatibus parem aut ſuperiorem in promtu haberi, illi de eo ſolo cogitare videntur qvid aggreſſori innoxium ſit, non qvid noxâ atq; moleſtiâ exſolvat læſum. An illis ergo leve videtur qvod læſo imponunt onus, ut armatas ſemper excubias agat, magnisqve ſumtibus res ſuas defendat? qvorum neutrum ne facere cogatur, allaborandum ſibi recte cenſet. Male enim cum rebus humanis agetur, ſi jus noſtrum ad tutam nobis reddendam rerum noſtrarum poſſeſſionem non amplius ſufficit, ſed aut potiſſima fructuum è re noſtra provenientium pars ad rem ipſam retinendam eſt adhibenda, aut unius rei impendio altera ſervanda. Tum qvoqve ea magnorum regnorum, eorum præſertim, qvorum partes disjectiores ſunt, conditio non eſt, ut ubiqve claudi, aut in hanc illamvè partem vires unice converti poſſint. Sæpe regio illa, qvæ primum hoſtium impetum excipere cogitur, numeroſo militi alendo non ſufficit, aut à reliqvo regni corpore ſejuncti-

ſejunctior eſt, qvam ut promte eidem & in tempore ſubſidia præſtari poſſint, qvo caſu ut aut provinciam tempore pacis per onera belli opprimat, aut in continuo amittendæ illius metu, qvi imperiò eam regit, verſetur, neceſſe eſt.

§. XXXI.

Sed dandus eſt locus pœnitentiæ, de qva qvi damnum fecit non ſolum ampliſſime teſtatur, ſed & ad alias omnes æqvas pacis conditiones promtum ſe oſtendit, id qvod emendati animi eſt indicium, omnemqve futuri metum adimit. Ubi fatemur, ſi qvis alios lædere non ſolitus, errore, impetu, & neſcio qva animi in ſeqviores cogitationes adducti alacritate concitatus, damnum dederit, ſi idem ſua ſponte à maleficio deſiſtat, factiqve pœnitentiam promte præſtita damnorum reparatione oſtendat, cum eo in pacem atqve amicitiam, non adeo ſcrupuloſe poſtulata futuræ ſecuritatis cautione redeundum eſſe. (*Puſend. de Off. hom. & Civ. l. 1. c. 5. §§ 17.*) Si qvis autem deſtinato conſilio, ex profunda animi malignitate profecto peccaverit, ſi cum injuria contumeliam conjunxerit, ſi in defendendo errore pertinaciſſimus, poſt acceptam qvoqve cladem per fas nefasqve extrema læſo intentet, tandem autem poſt deletas copias, poſt turbatam conſiliorum omnium ſeriem, pœnitere ſe dicat, & verbis blandiatur, & dum blanditur, ab inſidiis ſibi non temperet, ille tantum abeſt ut animi emendati ſignum præbeat, ut efficacior futuræ ſecuritatis cautio ab eo recte exigatur.

§. XXXII.

§. XXXII.

Sed odia ne immortalia ſint, cavendum, id qvod & ratio dictitat, & Chriſtianæ religionis placita oſtendunt. Sed durum eſt multari regno, qvo nunqvam æqvo animo carebit, qvi primò regnandi dulcedinem deguſtavit: unde tantum videtur abeſſe ut ille modus bellorum ſemina evellat, ut potius futurorum radicem alte animis inſerat. Hic primo putamus, ſine inhumano odio, ſine profana animi acerbitate fieri omnino poſſe, qvæcumqve ad obtinendam perpetuam futuri temporis ſecuritatem pertinere diximus. Non odio ille eſt, ſed ſuſpectus, ſed metuendus nobis, à qvo ſecuritatem poſtulamus, qvæ ut negligatur, nulla ratio, nulla religio poſtulat. Deinde id durum nemini videri debet, qvod levi opera vitari poterat; qvid autem facilius eſt qvam qvieſcere, qvam ab inferenda injuria abstinere? nec minus eſt durum, ut qvis injuriam qvam paſſus ſit, gratis devorare, & in perpetuo novæ accipiendæ metu verſari cogatur. Qvod de odio, in animo ejus, qvi ad ſecuritatem præſtandam adigitur, remanente ſubjicitur, id inane eſt, poſito qvem tetigimus caſu, ut in ipſa nocendi impotentia ſecuritatis ratio conſtituatur.

§. XXXIII.

Sed ſatis jam mali paſſus eſt, qvi malum nobis creavit, qvo caſu virtutis id eſt, atqꝫ animi magnitudinem cumprimis decet, ut de jure ſuo aliqvid remittat victor. Hic verò diſertius exprimendum

erat, de qvonam malorum genere agatur. Si vulnera atqve cicatrices ſuas aggreſſor numeret, qvæ, dum vapulat, dum fugit, dum caſtris exuitur accepit, nil niſi qvod ſibi imputet, & qvod belli per ipſum excitati fert ratio, habebit. Si bonorum ſuorum damna recenſeat, qvæ in prædam victori ceſſerint, non magis ea ad compenſationem damni dati trahi poſſunt, qvàm inter privatos impenſæ litis cum debiti principalis ſolutione compenſantur, ſaltem ad futuræ ſecuritatis cautelam, qvam hic unice reſpicimus, iſta omnia non pertinent. De virtute illa generoſi atq; excelſi animi qvidqvid dicitur, id recte ſe habet, qvando de damni dati reparatione agitur, ubi è dignitate Principum non eſt, ad vivum omnia reſecare, & in ponendo calculo mercatoriam ſolertiam exprimere; Ut qvis autem ſecuritatis ſuæ munimenta deſtruat, id ad virtutem male refertur, ſed rectius in vitiis imperantium collocatur.

§. XXXIV.

Atqve illa univerſim de DETHRONISATIONE, ejusdemqve jure, dici atqve defendi poſſe arbitramur. Ex qvibus, qvid ad præſentem Poloniæ ſtatum pertineat, qvid ab eodem alienum ſit, dijudicare noſtrum non eſt, qvi faciendum neutiqvam putamus, ut Scholaſticis commiſſionibus magna nomina obſoleſcant.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0056
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0057
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0059
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0060
DFG

e qvonam malorum genere agatur. Si vul-
ve cicatrices ſuas aggreſſor numeret, qvæ,
ulat, dum fugit, dum caſtris exuitur acce-
ſi qvod ſibi imputet, & qvod belli per ipſum
ratio, habebit. Si bonorum ſuorum
feat, qvæ in prædam victori ceſſerint, non
mpenſationem damni dati trahi poſſunt,
vatos impenſæ litis cum debiti princi-
mpenſantur, ſaltem ad futuræ ſecu-
qvam hic unice reſpicimus, iſta
nt. De virtute illa generoſi atq;
vid dicitur, id recte ſe habet,
reparatione agitur, ubi è di-
eſt, ad vivum omnia reſecare,
ercatoriam ſolertiam expri-
uritatis ſuæ munimenta de-
ale refertur, ſed rectius in
tur.

XIV.

DETHRONISATIO-
ve defendi poſſe arbi-
ſentem Poloniæ ſta-
num ſit, dijudicare
neutiqvam pu-
onibus ma-
gna nomina

UB Rostock 05/4000

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1856525465/phys_0061
DFG